



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 2. An ignorantia vincibilis est secundùm se peccatum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

quandóque est causa actionis, quandóque non, quia eâ sublatâ quandóque adhuc fieret actio, quandóque non fieret.

3. In ignorantiam Juris, & facti. Prior est, qua ignoratur præceptum aliquod. Posterior est, qua ignoratur id, quod fit, esse juxta, vel contra præceptum, & potest esse de opere, vel aliqua ejus circumstantia: ut cum quis nescit esse diem veneris, quo comedit carnes.

4. In negativam, & positivam. Negativa est mera privatio debitæ cognitionis alicujus rei absque judicio erroneo de illa re, Positiva est error, seu judicium falsum de aliqua re.

5. In habitualem & actuaalem. Habituaalis est privatio cognitionis habitualis, & dicitur simpliciter ignorantia. Actuaalis est privatio debitæ cognitionis actualis, & melius dicitur inadvertentia, inconsideratio, vel oblivio.

Q. 2. *An ignorantia vincibilis est secundum se peccatum?*

Not. Ignorantia vincibilis, alia est affectata, seu directè volita, & est ea, quam quis directè, & expressè vult, ut liberiùs peccet, juxta illud Job 21. *recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus.* Alia non affectata, & est ea, quæ non est directè, & expressè volita, sed est solùm volita indi-

directè, nempe in negligentia addiscendi, Hæc subdividitur in crassam, seu supinam, & non crassam. Crassa est, cum aut nulla adhibetur diligentia ad sciendum, aut non nisi pro rei gravitate valde exigua adhibetur: unde semper oritur ex gravi negligentia discendi. Non crassa est, cum ad sciendum adhibetur quidem aliqua diligentia, sed non adhibetur sufficiens.

*Resp.* Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scite tenetur, etsi non affectata, est secundum se peccatum imputabile. *Est communis. sent. Prob. 1. ex Psal. 24. Delicta juventutis mea, & ignoratias meas ne memineris.* Et Eccli 23. *Ne adincrescant ignorantia mea, & multiplicentur delicta mea.* 2. Quia talis ignorantia est libera transgressio præcepti, seu ommissio rei præceptæ. Nam omnia, & singula præcepta obligant ad id, sine quo observari nequeunt, ideòque ad sui cognitionem comparandam, sine qua servari non possunt: quippe præcipiens finem, præcipit media per se necessaria ad illum. Igitur cum cognitio obligationum tum omnibus communium, tum specialium, quæ ad cuiusque statum, officium, & munus spectant præcepta sit; talis cognitionis privatio vincibilis est transgressio præcepti, & quidem libera, ac voluntaria saltem indirectè, nempe in negligentia discendi, ideòque est peccatum. Unde ignorantia est peccatum, &

& mala imputabiliter ob negligentiam voluntatis, à qua manat. 3. Qui ignorat ea, quæ scire potest, & debet, se exponit voluntariè morali periculo violandè præcepta quoties urgent, ideóque multoties peccandi: ergo peccat gravissimè.

Obserua 1. Gravitas peccati ignorantiaæ æstimanda est ex gravitate præcepti ignorati, & ex negligentia discendi. 2. Ut aliquid sit voluntarium interpretativè, sufficit ut tenearis illud vitare, nec facias, cum possis, id quod est necessarium ad illud vitandum: hoc enim ipso tibi meritò imputatur, quod non vitaveris. 3. Ignorantia eorum, quorum cognitio ratione sui præcipitur, ut sunt Mysteria Fidei, est peccatum speciale oppositum virtuti Fidei, quamvis Fidei habitum non destruat. Ignorantia verò eorum, quorum cognitio requiritur solùm in ordine ad opus, est peccatum ejusdem speciei, cujus est transgressio præcepti ignorati: nam eidem præcepto, ac virtuti opponitur, cum omne præceptum, utpotè efficaciter obligans ad sui observationem, obliget etiam ad sui cognitionem, & considerationem. 4. Peccatum ignorantiaæ continuatur, & multiplicatur, sicut peccatum omissionis restitutionis debitæ.

Tom. I.

Q

Q. 3.